

## TRACTATUS VIII.

## DE CONSCIENTIA.

Quaeres 1. **Q**uid sit conscientia?

*Resp.* Est, *Actus intellectus practici dictanis quid hic et nunc, spectatis omnibus circumstantiis, faciendum sit ut bonum, vel omittendum ut malum.*

Dicitur 1. *Actus;* quia testificatur, accusat, remordet, dirigit, &c.

Dicitur 2. *Intellectus;* quia solius intellectus est de agendis vel non agendis judicare.

Dicitur 3. *Intellectus practici;* quia versatur circa actiones humanas, ut eas dirigat, non solum in genere, ut facit prudentia generalis, sed in particulari. Unde ejus judicium vocatur *practice practicum.*

Dicitur 4. *Dictantis quid hic et nunc, &c.* per quod differt tum a synderesi, quae versatur circa prima morum principia; tum a prudentia generali, quae ex primis principiis deducit tantum conclusiones generales, abstrahentes scilicet a circumstantiis: conscientia vero prima principia applicat ad hoc vel illud in particulari; v. gr. synderesis dictat: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris:* ex quo prudentia generalis concludit generaliter: *Ergo non est retinendum id quod est alterius.* Unde conscientia subsumit: *Atqui haec pecunia, quam casu inveni, est aliena;* deinde concludit: *Ergo eam retinere non debeo.*

Quaeres 2. *Quomodo dividitur conscientia?*

*Resp.* Dividitur 1. in veram et erroneam; 2. in certam et dubiam; 3. in scrupulosam et latam; 4. in probabilem et improbabilem.

## CAPUT I.

*De conscientia vera, et erronea.*

Quaeres 1. **Q**uid sit conscientia vera, seu recta?

*Resp.* Est ea, quae dicit aliquid esse licitum, vel illicitum, quod revera licitum, vel illicitum est. Haec est certissima morum regula; cum sit recta synderesis et legis applicatio ad actum particularem hic et nunc agendum.

Quaeres 2. *Quid sit conscientia erronea, seu falsa?*

*Resp.* Est ea, quae dicit aliquid esse licitum vel illicitum, quod revera non est tale. Et duplex est, scilicet invincibiliter, et vincibiliter erronea.

Conscientia invincibiliter erronea, est ea, cuius error, omni diligentia adhibita, depelli non potuit, aut non debuit. Quocirca est inculpata.

Conscientia vincibiliter erronea, est ea, cuius error adhibita diligentia necessaria, depelli potuit ac debuit. Et haec vel est affectata, vel crassa, pro ratione ignorantiae ex qua nascitur.

Quaeres 3. *Utrum conscientia erronea sit morum regula?*

*Resp.* Non est per se, quia falsa est omnino; ergo debet deponi: est tamen morum regula per accidens, si sit invincibiliter erronea; quia est judicium, quod sine formidine partis oppositae existimatur verum, quod nec debet, nec potest deponi.

Quaeres 4. *Utrum peccet, qui agit contra conscientiam erroneam?*

*Resp.* Semper peccat, sive error sit vincibilis, sive invincibilis; quia non agit ex fide, id est, ex persuasione quod liceat; atqui ex Rom. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est;* ergo, &c. Ratio est, quia qui agit contra conscientiam, vult peccatum; ergo peccat.

**Quaeres 5.** *Utrum peccet qui operatur secundum conscientiam erroneam, dictantem aliquid licitum esse, quod revera illicitum est?*

**Resp.** Non peccat, si error sit invincibilis; quia error invincibilis excusat operantem ex eo, sicut ignorantia invincibilis quam importat.... peccat vero, si error sit vincibilis; quia talis error excusare non potest operantem ex eo, sicut nec ignorantia vincibilis ex qua oritur.

**Objicies.** Si laborans conscientia vincibiliter erronea, peccet eam sequendo, peccet etiam eam non sequendo, necessario peccabit; absurdum consequens; ergo.

**Resp. Dist. seq. maj.** Necessario peccabit, necessitate hypothetica, si nimur conscientiam non depont, quam debet et potest deponere, utpote vincibilem, conc. necessitate simplici et absoluta, nego. Tota ergo peccandi necessitas, quae huic homini incumbere videtur, plane est voluntaria, quia rem sedulus perpendere, doctiores consulere ut errorem deponeret, minime dignatus est.

**Quaeres 6.** *Utrum Confessarius teneatur monere poenitentem, qui laborat conscientia vincibiliter erronea?*

**Resp.** Semper tenetur, etiamsi praevideat monitionem suam poenitenti profuturam non esse, quia si poenitentia non moneatur, semper peccabit ex ignorantia vincibili, quac a peccato non excusat.

Hinc, poenitens debet moneri, 1. Cum interrogat Confessarium, quia tunc habet dubium de licitate suae actionis. 2. Cum error versatur circa prima juris naturalis principia, vel circa primas eorum conclusiones, quia circa illa ejus ignorantia est tantum vincibilis.

**Quaeres 7.** *Utrum Confessarius teneatur monere poenitentem, qui laborat conscientia invincibiliter erronea?*

**Resp.** Debet eum monere, 1. Si error in boni com-

munis dispendium vergat, quidquid sit de monitionis successu: hinc invalide ordinatus moneri debet.... 2. Si error sit in praejudicium tertii particularis.... 3. Si error sit de necessariis ad salutem necessitate medi.... 4 Si spes emendationis affilgeat.

**Resp.** 2. Non debet eum monere, si monitio nova magis, quam utilis, futura praevideatur; quia nempe periculum est, ne poenitens, qui hactenus materialiter tantum peccavit, formaliter postea sit peccatus, monitionem Confessarii spernendo.

## CAPUT II.

### *De conscientia scrupulosa, et lata.*

**Quaeres 1.** *Quid sunt conscientia scrupulosa et lata?*

**Resp.** Scrupulosa, est ea, qua mens, levibus nixa fundamentis, cum anxietate judicat aliquid esse mali; vel timet ne aliquid mali subsit in actione bona, vel indifferenti.

Lata, est ea, qua mens, ex levissimis, et quidem cupiditatibus, rationibus, licetum esse putat quod malum esse facile deprehendi potest, aut pro levi peccato habet, quod grave communiter reputatur. Utraque ad erroneam pertinet.

**Quaeres 2.** *Utrum illae conscientiae sint morum regula?*

**Resp.** Non sunt, quia sunt improbables et imprudentes, cum vanis et futilebus nitantur rationibus, quae prudentes homines movere non possunt, hinc debent deponi.

**Quaeres 3.** *Utrum scrupulos possit ac debeat contra scrupulos agere?*

**Resp.** Si scrupulus sit verum iudicium de malitia operis, non potest scrupulosus contra scrupulum non

depositum agere: quia scrupulus sic sumptus est conscientia practice erronea, contra quam actu retentam non licet agere.... si vero scrupulus sit timor ne aliquid mali subsit in opere, junctus cum judicio absoluto et pratico de licitate actionis, tunc scrupulosus debet contra scrupulos operari, ipsos contemnendo ac negligendo, ut obtemperet judicio vero et certo de licitate actionis.

## CAPUT III.

*De conscientia certa, et dubia.*

**Quaeres 1.** *Quid sit conscientia certa?*

**Resp.** Est, *judicium firmum et sine formidine, saltem rationali, de bonitate aut malitia operis hic et nunc agendi.*

**Quaeres 2.** *Quid sit conscientia dubia?*

**Resp.** Est, *suspensio judicii circa bonitatem aut malitiam operis hic et nunc agendi:* vel quia pro neutra parte rationes occurunt suadentes, in quo casu conscientia dicitur, *negative dubia.* Vel quia pro utraque parte occurunt rationes aequae ponderantes, tuncque dicitur, *dubia positive.*

**Quaeres 3.** *Utrum conscientia practice dubia sit regula morum?*

**Resp.** Non est: nam regula morum debet determinare ad assensum; atqui conscientia dubia non determinat ad assensum, ut constat ex ejus definitione; ergo, &c. Hinc qui agit cum conscientia dubia non deposita, peccat, quia non agit ex fide; ergo debet deponi.

**Quaeres 4.** *Quo principio conscientia dubia possit deponi, et fieri moraliter certa?*

**Resp. 1.** In materia iustitiae potest deponi hoc juris principio: *In dubiis melior est conditio possidentis:*

quia merito praesumitur possessorem alicujus rei, quam apud se habet, esse verum illius Dominum: quatenus communius evenit, ut qui possidet, rem suam, jusque suum possideat, licet aliter aliquando evenire possit.

**Resp. 2.** In aliis materiis deponi potest per hanc juris regulam: *Pro eo standum est, pro quo stat prae- sumptio.* Quia qui in dubiis pro ea parte stat, pro qua stat prae sumptio, prudenter agit; ergo licite agit; ergo &c.

**Quaeres 5.** *Si pro neutrā parte prae sumptio stare clare videatur, quomodo deponendum est dubium?*

**Resp.** Debet deponi hoc juris principio: *In dubiis tutior pars est eligenda.* Nam Eccli. 3. dicitur: *Qui amat periculum, in illo peribit.* Et cap. 21. *Quasi a facie colubri fuge peccata.* Sed qui in dubio, in quo pro nulla parte stat prae sumptio, non eligit partem tutiorem, non fugit peccatum tanquam a facie colubri, item se exponit periculo peccandi; ergo peccat; ergo in dubiis tutior pars est eligenda; idque praecipiunt multi Canones.

**Objicies 1.** Canones qui dicunt in dubiis partem tutiorem esse amplectendam, sunt tantum consilii, non pracepti; ergo, &c.

**Resp.** Nego ant. Nam Canones illi his constant terminis praeceptivis: *Via tutior est eligenda. Semitam debemus eligere tutiorem. Quod certius existimamus, tenere debemus.* Unde Clerus Gallicanus, ann. 1700. hanc interpretationem damnat his verbis: *Neque id consilii, sed pracepti loco habemus, dicente Scriptura: Qui amat periculum, in illo peribit.*

**Objicies 2.** Lex dubia non potest certam parere obligationem; atqui si in dubio de licitate actionis, ab ea esset abstinentium, lex dubia certam pareret obligationem; ergo &c.

**Resp.** *Dist. maj.* Non potest certam parere obliga-

tionem, petitam ex parte legis de qua dubitatur, *conc.*  
ex parte legis naturalis quae vetat ne quis se expo-  
nat periculo peccandi, *nego*. Lex enim naturalis non  
solum praecepit ut obediamus superioribus, sed etiam  
vetat ne nos exponamus evidenti periculo superiorum  
leges transgrediendi.

## CAPUT IV.

*De conscientia probabili, et improbabili.*

Quaeres 1. **Quid sit conscientia probabilis?**

*Resp.* Est, *actus*, quo *intellectus*, ob *motivum grave*,  
*quamvis absolute fallibile*, *judicat actionem hic et nunc*  
*exercendam, esse licitam vel illicitam*. Unde probabi-  
litas est *verisimilitudo*.

Dicitur 1. *Ob motivum grave*, quod si petatur a ra-  
tione, probabilitas dicitur *intrinseca*; si ab auctoritate  
doctorum, vocatur *extrinseca*.

Dicitur 2. *Quamvis absolute fallibile*, quia licet il-  
lud motivum idoneum sit ad viros pios et prudentes  
determinandos ad assensum, illos tamen non determi-  
nat sine formidine partis oppositae.

Conscientia improbabilis, est *actus*, quo *intellectus*  
*ob motivum nullius vel levius momenti*, *judicat actionem*  
*hic et nunc exercendam, esse licitam, vel illicitam*.

Quaeres 2. **Quid sit opinio tuta, tutior, et mi-  
nus tuta?**

*Resp.* Opinio *tuta*, est ea quae removet a periculo  
peccandi. *Tutior*, quae magis removet. *Minus tuta*,  
quae minus removet.

Quaeres 3. **Utrum liceat sequi opinionem probabilem**  
*hominis libertati faventem, in concursu probabilioris*  
*quae favet legi?*

*Resp.* Non licet. Nam 1. *Apost. 1. ad Tessel. 5.*  
ait: *Omnia probate, quod bonum est tenete, ab omni*

*specie mala abstinet vos.* Sed qui sequitur opinionem  
minus probabilem faventem libertati, seu potius cu-  
piditati, 1. *non omnia probat*, quia non se determi-  
nat prudenter; 2. *non tenet quod bonum est*, quia am-  
pleteatur quod ei malum appetet potius quam bonum:  
3. *non abstinet ab omni specie mala*, quia amplecti-  
tur quod probabilius malum esse judicat; ergo, &c.

2. Illa doctrina est nova, ut declaravit Clerus Gal-  
licanus, anno 1700. *Quod ergo in praxi eam nobis li-*  
*ceat sequi sententiam, quam nec ipsi ut probabiliorem*  
*eligendam judicemus*, inquit, *hoc norum, hoc inaudi-*  
*tum, hoc certis ac notis auctoribus postremo demum sae-*  
*culo proditum, et ab iisdem pro morum regula posi-*  
*tum, repugnat huic effato a Patribus celebrato*: Quod  
ubique, quod semper, quod ab omnibus, *nec habere*  
*potest christiana regulae securitatem*.

3. Quia ille non agit licite, qui non agit prudenter:  
sed qui eligit sententiam minus probabilem faventem  
libertati in concursu probabilioris quae stat pro lege,  
non agit prudenter: nam non habet certitudinem mo-  
ralem de honestate sua actionis, de qua hoc habet ju-  
dicium: *Probabilis et verisimilius est hanc actionem*  
*esse malam et illicitam*; ergo.

Objicies 1. Qui sequitur opinionem probabilem in  
concurso probabilioris, prudenter agit: nam agit du-  
ctus argumentis quae viros pios et doctos ad asse-  
sum determinare possunt; ergo.

*Resp.* Nego ant. et prob. Nam adveniente luce pro-  
babilioris sententiae, lux sententiae minus probabilis  
statim evanescit; ergo non remanet vere probabilis;  
ergo viros doctos et pios non potest determinare  
ad assensum.

*Inst.* 1. Nullum comparativum destruit possitivum;  
ergo major probabilitas non destruit minorem.

*Resp.* Dist ant. Nullum comparativum, *comparative*  
sumptum, *cone*. comparativum *adversative* sumptum,

quomodo hic tò probabilis sumitur, nego ant. Sic Apost. 1. Cor. 7. sumit tò melius, in hoc textu: *Melius est nubere, quam uri*, non quod bonum sit uri, sed quod ex his duobus inter se comparatis, unum sit bonum, alterum malum.

*Inst.* 2. Opinio minus probabilis fundatur motivo gravi, alias non esset probabilis; ergo juxta illam licet operari.

*Resp. Dist. ant.* Fundatur motivo gravi, superato per motivum gravius in oppositum, *conc.* non superato, nego ant. Porro motivum grave superatum a graviori, fit leve, nec meretur assensum.

*Objicies 2.* Licitum est sequi opinionem minus tu- tam in concursu tuitioris; ergo a pari, &c.

*Resp. Nego conseq.* Disparitas est, quod opinio tua, etiam in concursu tuitioris, nulli exponat periculum peccandi, cum tuta supponatur econtra vero probabili in concursu probabilioris exponit operantem periculum peccandi contra legem.

*Inst.* Ergo non licet sequi opinionem probabiliorē, imo nec probabilissimā: nam non excludit omnem incertitudinem; ergo habet sācum periculum peccati.

*Resp. Nego conseq.* Ad prob. dist. Non excludit incertitudinem objectivam et metaphysicam, *conc.* moralem, nego. Porro qui agit cum certitudine morali de licitate sua actionis, non peccat, quia facit totum quod in se est ad inquirendam veritatem: unde si forte eam non attingat, excusat a peccato ratione ignorantiae invincibilis.

*Quaeres 4.* Utrum liceat sequi opinionem probabilem quae favet hominis libertati, in concursu aequae probabili quae facet legi?

*Resp.* Non licet, sed tunc ea opinio est tenenda, quae est tuitior. Nam, in dubiis semitam debemus eliger tuitorem, ex regula juris: sed qui versatur in aequali opinionum contrarium probabilitate, versatur

in vero ac proprie dicto dubio, cum non sit potior ratio, cur intellectus judicet unam opinionem esse veram, quam alteram, et sic in suspenso remaneat inter veritatem et falsitatem; ergo, &c.

*Objicies 1.* Qui habet opiniones utrinque probabiles, non est in dubio vero et proprie dicto; ergo non tenetur partem tuitorem sequi.

*Prob. ant.* In veris dubiis intellectus neutri parti adhaeret; in opinione econtra uni realiter adhaeret, licet cum formidine partis oppositae; ergo, &c.

*Resp. Dist. 2. partem ant.* In opinione, quae, non concurrit cum contraria aequaliter probabili, intellectus uni parti realiter adhaeret, *conc.* quae concurrit, nego. Tunc enim intellectus inter utrumque anceps ac suspensus maneat, necesse est; ergo tuitior pars est eligenda ut vitetur periculum peccati.

*Inst.* Opinio probabili non amittit gravitatem sui motivi, ex eo quod concurrat cum opinione opposita aequi probabili; ergo non reddit intellectum ancipitem et suspensum.

*Resp. Nego ant.* Nam gravitas unius opinionis eliditur per gravitatem opinionis contrariae aequi probabili, et sic neutra pars apparet magis vera quam falsa, unde intellectus debet suspendere assensum et dissensum, ac proinde manere dubius.

*Objicies 2.* In dubio tantummodo pratico tuitior pars est eligenda; atqui intellectus inter duas aequales probabilitates constitutus, licet dubius *speculative*, non est tamen dubius *practicus*; ergo.

*Resp. Nego min.* Nam intellectus *speculative* dubius, est necessario dubius *practicus*, cum in praxi nulla occurrit circumstantia quae dubium *speculativum* tollat; atqui hic nulla est circumstantia quae minuat pondus rationum propter quas intellectus est *speculative dubius*; ergo, &c.

*Inst.* Intellectus *speculative* dubitans, v. gr. utrum

*contractus mohatra sit licitus vel illicitus, potest se determinare per hunc actum reflexum: Licitum est sequi opinionem certo probabilem; ergo.*

*Resp. Nego ant.* Quia supponit falsum, nempe opinionem probabilem in concursu alterius aequa probabilitas retinere suam probabilitatem, quod falsum esse supra probavimus.

*Quaeres 5. Utrum liceat sequi opinionem probabilem quae faveat libertati, in concursu minus probabilis quae faveat legi?*

*Resp. 1.* Non licet in iis quae sunt necessaria necessitate medii ad salitem, vel quae requiruntur ad validam administrationem, et receptionem Sacramentorum; quia in his ignorantia invincibilis, aut major probabilitas nihil juvat ad obtainendum finem quem procurare tenemur, cum non possit salus obtineri, nec effectus Sacramenti haberi, nisi reipsa ponantur ea quae Deus ad hunc finem exigit.

*Resp. 2.* Licet, ubi agitur de licto actuum humorum; nam ex D. Thom. 2. 2. q. 70. art. 2. *Certitudo non est quaerenda in omni materia; in actibus enim humanis, super quibus constituuntur judicia, non potest haberi certitudo demonstrativa, eo quod sunt circa contingentia et variabilia: et ideo sufficit probabilis certitudo quae in pluribus veritatem attingat, et si in paucioribus a veritate deficiat.* Atqui si non liceret se qui opinionem minus tutam, quae sit tutoire notabiliter probabilior, non sufficeret *probabilis certitudo*, sed requireretur *certitudo demonstrativa*, quae non potest semper haberi; ergo &c. Ratio est, quia opinio probabilior est verior, cum traditioni, quae est morum regula, sit conformior.

Hinc merito Alex. VIII et post ipsum Clerus Gallic. anno 1700. hanc. prop. damaarunt: *Non licet se qui opinionem probabilem, vel inter probabiles probilissimam.*

*Objicies.* Qui sequitur opinionem minus tutam, licet probabiliorem, non est certus de bonitate sua actionis; ergo, &c.

*Resp. Dist. ant.* Non est certus metaphysice, *conc.* moraliter, *nego.* Porro certitudo moralis sufficit ut homo tute operetur: etsi enim *admittat formidinem de opposito, et scrupulos, non tamen advertendos, sed contemnendos*, ait Gerson, lib. 4. *De consol. Theologica.*

*Inst.* Qui judicat actionem minus tutam esse honestam, simul judicat eam forte esse illicitam; ergo non est certus moraliter.

*Resp. Dist. ant.* Simul judicat eam forte esse illicitam, illicitate materiali invincibili, *conc.* formalis, vel materiali vincibili, *nego min.* Formido ergo, quam admittit opinio probabilior, non impedit certitudinem moralem de licto actionis; unde est contemnenda, ut docet Gerson.

